



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

De impedimento cognationis spiritualis & legalis. Pun. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

PUNCTUM IX.

De impedimentis cognationis spiritualis, & legalis.

- 1 Quae sit cognatio spiritualis
- 2 Quas personas afficiat
- 3 Quae sit cognatio legalis
- 4 Quas possit adoptare.
- 5 Quae sit adoptio.
- 6 Cognatio legalis est triplex.
- 7 Quilibet ex his cognationibus impedimentum est dirimens matrimonium contrahendo.
- 8 Hoc impedimentum cognationis legalis plures censent ex sola adoptione perfecta oriri.
- 9 Verius est oppositum.
- 10 Soluuntur contraria fundamenta.
- 11 Prima species cognationis legalis durat perpetuo.
- 12 Aliqui censent extendi hoc impedimentum ad omnes descendentes adoptati sine termino. Alij ad secundum gradum. Alij ad quartum.
- 13 Reiciuntur hi dicendi modi.
- 14 Solum inter adoptantem & adoptatum haec cognatio, & impedimentum interceat.
- 15 Cognatio legalis linea transversa contrahitur, & perseverat, dum filius sub potestate adoptantis existit.
- 16 Cognatio legalis per modum affinitatis perpetua censenda est.

Cognatio spiritualis, secundum omnes Doctores, est propinquitas personarum iure Ecclesiastico inducta ex susceptione, vel concessionem Sacramenti Baptismi, & Confirmationis, estque impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, ut constat ex toto tit. de cognat. spirituali. Et ex eodem tit. in 6. Et Conc. Trid. sess. 24. c. 2. Item per Baptismum regeneratur spiritaliter puer, & per Confirmationis Sacramentum in esse roboratur. Deicit ergo, ut sicut per carnalem generationem contrahitur cognatio matrimonij impediens, sic per huiusmodi regenerationem, & roborationem contrahitur saltem ab iis personis, quae immediate concurrunt.

Antiquo iure plures personas hoc impedimentum afficiebat, ut spectato Conc. Trid. sess. 24. c. 2. solum afficit baptizantem, & de facto fonte leuantem comparatione baptizati, illiusque patris, & matris. Et idem est in Confirmatione, omnibus inter alias personas huius cognationis impedimentis sublati. Ut baptizans, vel confirmans hoc impedimentum contrahat nihil aliud requiritur, quam quod verum Sacramentum ministrat. At suscipiens baptizatum, vel confirmatum debet esse designatus, & rationis compos, & non Religiosus, & suscipere baptizatum in Baptismo solemni, imo secundum probabilem sententiam per se ipsum, vel haec omnia latius profecuti sumus *traict. de Baptismo punct. tit. 1. c. 2.*

Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Adoptio vero est actus legitimus, per quem filius, aut nepos qui non est naturam ferme imitatus, vel ut placet D. Thom. communiter recepto, in 4. dist. 42. quaest. 2. est legitima suscipio extraneae personae in filium, vel nepotem, vel deinceps. Vtraque definitio in idem recidit. Dicitur *actus legitimus*, seu *legitima suscipio*, quia debet esse secundum leges tum Civilis, tum Canonicae. Dicitur *susceptio*, quia per eam suscipit adoptans in filium, vel nepotem, quem a natura non habet, & quo natura defectum supplet. Dicitur *extraneae personae*, quia est extra adoptantis potestatem. Dicitur *in filium, vel nepotem*, quia nemo in fratrem, vel patrem adoptari potest. *Leg. nec apud, Cod. de hered. instit.*

Ut autem quis alterum adoptare possit debet esse masculus, foeminae namque ex rescripto Principis non est datum adoptare, eo quod filios sub sua potestate non contineant. Item debet esse sui iuris, & maior viginti quinque annis, quia alias sua administrare nequit. Deinde naturaliter potens ad liberos gignendos, quia in defectum filiorum, quos spectata natura habere posset permittitur adoptio, ideoque debet adoptatum excedere salem octodecim annis, ut ratione aetatis pariter illius esse possit, quia ad similitudinem filij carnalis haec adoptio inducta est. Quinimo si adoptionem perfectam scilicet arrogationem praestet quadraginta annos complere debet, ac tandem neque absens adoptare potest etiam per procuratorem, sed necessario adoptans praesens esse debet, ut ipse qui necessario debet esse sui compos adoptio nisi perfecta sit consentiat. Quae omnia habentur *instit. c. ff. de adoptio. Et late tradit Angel. verbo adoptio, n. 4. Sylvest. quaest. 2. c. 5. Sanch. lib. 7. disp. 63. num. 3. Molina l. 2. disp. 227.*

Feud. de Castro. Sum. Mor. Part. V.

Adoptio vero, ex qua cognatio legalis oritur duplex est, alia perfecta, in qua rescripto Principis persona extranea, quae sui iuris est transit in potestatem, & familiam adoptantis, sicuti alij filij legitimi. Quaeque dicitur arrogatio, quia a principe rogatur adoptans, an velit adoptatum in filium, vel nepotem habere, & adoptatus an id fieri consentiat. Imperfecta vero est, quae auctoritate cuiuslibet iudicis merum, & mixtum imperium habentis persona extranea esse sui iuris non sit, sed sub alterius potestate constituta in filium, vel nepotem assumitur. Quaeque patri adoptivo non succedit necessario ex testamento, sicuti succedit arrogatus, sed solum ab intestato, ut constat ex *§. sed haec, §. adoptio, §. item, & aliis in ff. de adoptio. Et leg. regia 7. tit. 7. part. 4. Et leg. 1. c. 2. Cod. c. ff. de adoptio. Adoptio vero abique auctoritate Principis, vel Magistratus effecta, etiam si publice fiat nullius est effectus, quia praedictae leges hanc conditionem pro forma expostulant, quae deficiente corruit actus, ut bene notavit Abbas in cap. un. num. 3. de cognat. legal. & ibi Ioann. And. num. 1. Angelus, verbo *Adoptio*, num. 3. Sylvest. *capem*, q. 3. Gregor. Lopez, leg. 7. tit. 7. part. 4. verbo *sucaria*, Sanch. lib. 7. disp. 63. num. 18.*

Congregatio legalis ex adoptione siue perfecta, siue imperfecta proveniens triplex est. Prima in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, uti habetur in *§. ergo non omnes, instit. de Nuprij. Et leg. qui eiam, ff. de Ritu nuptiarum. Et leg. regia 7. tit. 7. part. 4.* Secunda est lateralis, seu in linea transversa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis, de qua in *§. inter eos, instit. de Nuprij. Et leg. per adoptionem ff. de Ritu nuptiarum. Et dicta lege regia 7. Et cap. unico De cognatione legal. cap. per adoptionem 30. quaest. 3.* Tertia fundatur in legali quadam affinitate, ad similitudinem affinitatis carnalis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & inter adoptatum, & uxorem adoptantis iuxta *leg. adoptivus, ff. de Ritu nuptiarum. Et dicta lege regia 7. tit. 7. p. 4. & tradit D. Thom. receptus ab omnibus in 4. d. 42. q. 2. art. 3. in corp.*

Quamlibet ex his cognationibus impedimentum esse dirimens matrimonij contrahendo firmant ferè omnes Doctores, ut videre est in Abbate *Rub. de cognat. legal. num. unico. Alexand. de Nevo cap. unico, num. 10. eodem tit. Sylvest. verbo Matrimonium 8. quaest. 8. D. Thom. in 4. d. 42. q. 2. art. 2. in corp. Et ibi Bonavent. art. 2. quaest. 2. Soto ibi quaest. 2. art. 1. vers. de adoptione, & art. 2. in fine. Gregor. Lopez leg. regia 7. tit. 7. part. 4. Gallego de cognat. legal. c. 3. num. 56. Lancelloto instit. iuris Canonici, lib. 2. tit. de triplici cognat. ubi de legali, §. legalis cognatio. Basilio Ponce, lib. 7. cap. 4. num. 2. Sanch. lib. 7. disp. 63. num. 17. Gutier. cap. 102. num. 4. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 7. num. 3. Coninch disp. 32. dub. 3. Gaspar Hurtado disp. 19. distinct. 2. num. 4. Et enim cum legibus civilibus superioris relatis statutum sit, quamlibet ex supradictis cognationibus impedimentum esse dirimens matrimonio contrahendo, & a iure Canonico in Rubrica de cognatione legali approbata sit in communi cognatio legalis, efficitur quamlibet ex supradictis cognationibus impedimentum esse. Sed specialiter prima species cognationis legalis in linea recta approbata est a Nicolao Papa in *c. diligere 30. quaest. 3.* tanquam impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, ibi. *Quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij sunt veneranda Romanae leges matrimonia contrahi permittunt.* Secunda vero species cognationis legalis in linea transversa approbatur in *c. per adoptionem, eadem causa, c. 9.* sed praecipue in *c. v. de cognat. legal. statuitur impedimentum esse dirimens. Si quidem inquit Textus optias consistere non posse inter filium legitimum, & sororem adoptivam. Verbum enim potest praeposita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum, ut pluribus exornat Sanch. lib. 6. disp. 38. num. 20. Praeterquam quod verbum *consistere* praeposita negatione indicat nullam consentientiam nec valorem habere praedictum matrimonium. De tertia specie solum est difficultas, an impedimentum praestet matrimonio contrahendo, eo quod nullo Textu iuris Canonici, à quo impedimenta statuenda sunt approbata reperitur: sed id non obest, quia satis est, quod in Rubrica generaliter approbetur, & consuetudine Romanae Ecclesiae confirmetur, sicuti rectè notant Sanch. Hurtado, Layman, & alij supra. Ratio autem ob quam hoc impedimentum ab Ecclesia statutum est ea esse videtur, quae in consanguinitate, & affinitate carnali. Quippe ex praedicta adoptione nascitur quidem specialis amor, & amicitia inter adoptantem, cuiusque filios carnales, & adoptatum. Ergo ut matrimonium quod amoris vinculum est ad alios extraneos extendatur. Praeterquam quod adoptatus speciali reverentia profecui tenetur adoptantem, cui reverentia non leuiter copula obstat. Denique adoptatus cum adoptante, cuiusque uxore, & filiis habitare debet. Si autem matrimonium ipsis interdictionum non esset, facile in libidinem laberentur. Merito ergo Ecclesia illis matrimonium interdixit.**

Restat duplex quaestio. Prima. An praedicta cognatio legalis impedimentum praestans matrimonio contrahendo oritur

non solum ex adoptione perfecta, scilicet arrogatione, sed etiam ex imperfecta? Grauiissimi Doctores, & satis probabiliter censent ex sola adoptione perfecta oriri. Sic Innocent. in cap. vii. num. unico de cognat. legali. Syluest. verbo *Matrimonium* 8. quest. 8. dicto 4. Ledesma. 2. part. 4. quest. 59. artic. 3. sine Henric. lib. 12. cap. 12. num. 3. Petri. de Ledesma de *matrim.* quest. 57. art. 2. concl. 3. Sanch. alios referens lib. 7. disp. 63. n. 9. inclinans Coninch. disp. 32. dub. 3. in fine. Paul. Layman. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 7. num. 3. Ochagavia, quest. 58. de *matrim.* Mouentur primo, quia hæc cognatio legalis constituta est ad similitudinem cognationis carnalis; at hæc necessitas petit filium sub potestate parentis constitui. Ergo &c. Secundo constituitur ad similitudinem eorum qui legitimè nati sunt. Quam similitudinem habere adoptiui nequeunt, quousque in potestate, & familiam parentis adoptantis adificatur. Tertio ex vi huius cognationis legalis dimititur matrimonium inter adoptiuum, & filios carnales adoptantis, quod nullatenus esse potest, nisi uterque sub potestate adoptantis sint constituti. Quarto ratio præcipua, ob quam Ecclesia hoc impedimentum constituit iuxta D. Thom. in 4. d. 42. quest. 2. artic. 2. in corp. est ob vitandum periculum incontinentiæ inter sic cognatos. Quod necessitas futurum esset matrimonio non interdicto. At si adoptatus in potestatem adoptantis, eiusque familiam non transit, prædictum periculum cessat, cum simul non habitent, Ergo. Quinto impedimentum matrimonij in dubio potius restringi, quam extendi debent ob matrimonij fauorem. Cum ergo statutum sit cognationem legalem impedimentum esse matrimonij contrahendi de cognatione legali orta ex adoptione perfecta videtur intelligendum, siquidem hæc est propria adoptio, alia solum est ad perfectam adoptionem dispositio, vt inquit D. Thom. dub. 42. quest. 2. art. 1. ad 1.

9 Nihilominus contraria sententia verior mihi videtur, & in praxi omnino sequenda, quam docent Glossa in cap. unico ad finem de cognat. legali. Et ibi Hostiens. in fine. Abbas num. 5. Couartus. in 4. decreta. part. cap. 6. §. 5. num. 2. Gregor. Lopez leg. tit. 7. part. 4. verbo que proficiunt. Tolet. lib. 7. sum. cap. 4. num. 7. Rebell. de obligat. instit. 2. par. lib. 3. quest. 7. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 4. in princip. Gaspar Hurtado disp. 19. diffinit. 2. num. 3. August. Barbosa de potest. Episc. 3. part. alleg. 51. in fine. Gutierrez. de *matrim.* cap. 102. & alij plures quos refert Sanch. d. disputat. 63. num. 8. vbi hanc sententiam valde probabiliter censent. Ratio est, nam adoptio ex qua adoptatus non transit in potestatem, & familiam adoptantis vocatur imperfecta, id est minus perfecta, quam arrogatio, attamen in se vera, propria, & perfecta adoptio est, sicque communiter appellatur, vt colligitur ex §. adoptio instit. de adoptionib. Et leg. adoptiuus ff. de Ritu nuptiarum. Et notatur expressè in lege regia 7. tit. 7. part. 4. At Textus ex iure Canonico, in quibus cognatio legalis impedimentum asseritur de adoptione absolute loquuntur, vt videre est in cap. ita diligere. Cap. per adoptionem 30. quest. 3. & cap. unico de cognat. legali. Ergo absque fundamento firmo restringitur cognatio legalis, vt solum procedat in arrogatione: lex namque absolute loquens absolute intelligenda est, nec distinctionibus eius efficacia minuenda, vt inquit Textus in leg. non distinguemus, 8. cum simili. ff. de recept. arbit.

10 Neque fundamenta opposita obstant. Ad primum concedo hoc impedimentum inducitur esse ad similitudinem cognationis, sed non obinde inferitur omnia quæ in cognatione carnali interueniunt debere in hæc cognatione adoptiua intercedere. Satis enim est quod sicut filius carnalis succedit patri, & ad patrem refertur, suo modo adoptiuus succedat, & ad patrem referatur. Eodem modo respondemus ad secundum. Ad tertium admitto cognationem ortam ex adoptione imperfecta non ditimere matrimonium inter adoptiuum, & filios carnales adoptantis, quia inter ipsos non est cognatio, sedus inter adoptiuum, eiusque uxores. Ad quartum concedo cessare prædictas rationes, sed quia non cessat ratio reuerentiæ, & amicitie inter cognatos, ob quam hoc impedimentum Ecclesiam diximus statuisse, nec prædictum impedimentum cessat. Ad vltimum admitto impedimenta matrimonij restringenda esse, quantum verba legis illa stantem permiserint. At verba legis nullatenus permittunt restringi impedimentum cognationis legalis ad solam arrogationem cum simplex adoptio vera, & propria adoptio sit, vt probatum est.

11 Secunda questio est, quantum durer hæc cognatio legalis, & ad quorum gradum extendatur? Dicendum est in prima specie cognationis legalis linea recta, scilicet inter adoptiuum perpetuo durare impedimentum matrimonij contrahendi, vt probat Textus in §. ergo non omnes, instit. de Nuptiis, Et leg. qui etiam 53 ff. de Ritu nuptiarum. & cap. ita dirigere 30. quest. 3.

12 Sed ad quorum gradum, hæc cognatio extendatur? variant Doctores, Nam Antonin. 3. part. sit. 1. cap. 13. D. Thom. in 4. d. 42. art. 3. in corp. Syluest. verb. *Matrimonium* 8. q. 8. dicto 2. Venerum. 1. part. specul. art. 60. conclus. 1. Vgolin. de Sacram.

vbi de *matrim.* cap. 19. num. 4. & alij censent extendi ad omnes descendentes adoptati sine termino. Mouentur, quia iure Ciuili hæc cognatio ad omnes descendentes in infinitum extenditur, vt probat Textus in §. ergo non omnes, vers. & hic adde, instit. de Nuptiis. At iure Canonico approbata est cognatio iure Ciuili inducitur, cap. ita diligere 30. quest. 3. ergo, &c. Alij verò, vt Henric. lib. 12. de *matrim.* cap. 12. num. 3. censent solum ad secundum gradum extendi, scilicet inter adoptiuum & adoptiuum eiusque filios, argumento desumpto ex affinitate carnali orta ex copula illicita, quæ spectato iure nouo Conc. Trid. solum ad secundum extenditur. Alij vt Nauar. c. 22. m. 45. Faber instit. de Nuptiis §. inter eas num. unico. Socus in 4. d. 42. quest. 2. art. 2. concl. 2. Tolet. lib. 7. cap. 4. num. 7. Valen. tom. 4. disp. 10. quest. 5. p. 3. post initium. Saa, verbo *Matrimonium*, vbi de impedimentis num. 6. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 4. num. 3. & alij censent ad quartum gradum extendi, eo quod hæc cognatio est ad similitudinem cognationis carnalis, at cognatio carnalis restricta est ad quartum gradum, cap. non debet. de consanguinit. & affinit. Ergo hæc cognatio censenda est ad eum gradum restricta. Nam quoties duo se habent vt mensura, & mensuratum, lex corrigens mensuram censetur corrigere mensuratum.

Sed hi modi dicendi nullatenus mihi probantur. Non 1) primus, quia Textus in §. ergo non omnes: nullatenus dicit ad omnes descendentes cognationem extendi, sed ad summum ad filios adoptati, vt constat ex illis verbis, vt quamuis per adoptionem parentum, liberorumque loco sibi esse ceperint, non possint inter se matrimonio iungi. Neque etiam placet secundus modus dicendi Henric. vt potest absque vilo fundamento inuentus; cum cognatio legalis non minus imitetur cognationem carnalem ex copula illicita, quam ex illicita. Præterquam quod restricta affinitate ex copula illicita non debet censeri restricta cognatio orta ex adoptione, quæ diuersissima est. Neque item probanda est restrictio, vel extensio ad quartum gradum. Nam eto cognatio legalis ex similitudine ad carnalem constituitur, non inde inferitur cognationem carnalem esse mensuram legalis, alia cognatio legalis non solum in linea recta, sed transuersa ad quantum gradum extenditur. Præterquam quod cognatio carnalis, & affinitas restricta sunt ad quartum gradum, ne passim matrimonia inualida essent, eo quod sunt impedimenta frequentissima, quod nullatenus procedit in cognatione legali, quæ ratio contingit.

2) Quocirca mihi maxime probatur sententia Sanch. lib. 7. disp. 63. num. 34. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 7. n. 3. Gaspar Hurtado disp. 19. diffinit. 2. n. 7. Coninch. disp. 32. dub. 3. initio, asserentium solum inter adoptiuum, & adoptiuum hanc cognationem, & impedimentum intercedere, quia hæc persone tantum iure Canonico exprimitur. At cum adoptata aliqua persona censentur adoptati omnes illi qui tempore adoptionis sub eius sint potestate, vt aperte probat lex si paterfamilias ff. de adoptionib. efficitur sane hoc impedimentum cognationis legalis linea recta extendi ad omnes illos, qui sub potestate adoptati erant tempore adoptionis nulloque modo inter adoptiuum & ipsos vilo tempore matrimonium contrahi posse, sed ad alias personas non extenditur. Quare matrimonium consistere poterit inter adoptiuum, & filiam adoptati, quæ post adoptionem nata fuit extra potestatem adoptati. Item cum filia filia adoptiua, quia mulier neminem habet in sua potestate, §. suum in instit. de adoptionib. Item cum quibuscumque filiis illegitimis adoptati, quia hi non possunt esse in adoptati potestate, §. vbi, instit. de Nuptiis, sicuti notat Sanch. d. disp. 63. n. 35. Couartus 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 5. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 4. part. cap. 7. num. 3.

3) Secundo dico cognationem legalem linea transuersa licet inter filios carnales adoptantis, & ipsum adoptiuum contrahi, & perseverare, dum sub potestate adoptantis existunt, vt probat Textus in cap. vno de cognat. legali. Cod. per adoptionem. 30. quest. 3. Et leg. per adoptionem, ff. de Ritu nuptiarum, & §. inter eas instit. de Nuptiis. Etenim cum hæc cognatio legalis inducitur sit ob similitudinem fraternitatis, quæ inter filios carnales, & adoptiuum reperitur, tamdiu censetur persistere, quamdiu 1) sub adoptantis potestate permanent. Quocirca quoties patria potestas soluitur vel morte adoptantis, vel emancipatione secundum leges, vel filij adoptiui, vel naturalis cessat impedimentum prædictum, & matrimonium contrahi potest, vt ex omnium sententia tradunt Abbas Cardinal. & Præposit. in dicto cap. unico. Gregor. Lopez in dicta leg. tit. 7. part. 4. verbo los hijos. Sanch. disput. 63. num. 30. Paul. Layman. dicto cap. 7. num. 3. Basil. Ponce, lib. 7. cap. 4. m. 4. Coninch. disput. 32. dub. 3. Ad alias personas hæc cognatio non extenditur, quia nullus est Textus ex quo extensio colligi possit. Quare non extenditur ad filios adoptatos inter se, neque ad eorum parentes cum adoptante, neque inter filios adoptatos cum illegitimis adoptantis. Nam Textus in cap. vno de cognat. legali decidit non posse filium adoptatum cum filio carnali & naturali adoptantis contrahere durante patria pote

potestate: at filius illegitimus non solet naturalis appellari, & ex alia parte non est sub potestate patris. Ergo cum ipso non prohibetur matrimonium, vti notatur prædicti Doctores, quidquid sine fundamento dicat Basil. Ponce, d. cap. 41. num. 4. de filius illegitimus.

16 Tertio dico cognationem legalem, quæ per modum affinitatis contracta est inter vxorem adoptantem cum adoptato, & inter vxorem adoptati cum adoptante perpetua esse, eo quod reuerentia, cui innitur perpetua sit, sicuti decimum est in leg. adoptivus, 14. ff. de Rit. nuptiar. Eclog. regia 8. tit. 7. p. 4. Et tradit ex omnium sententia Sanch. lib. 7. disputat. 62. num. 24. Layman. Basil. Coninch. Gaspar Hurtado locis allegatis. Neque ad alias personas hæc cognatio extenditur, cum de iis tantum personis iura loquantur.

PUNCTUM X.

De impedimento publicæ honestatis.

- 1 Quid sit impedimentum iustitiæ publicæ honestatis?
- 2 Non est iuris naturalis, sed positum.
- 3 Vnde hoc impedimentum iure antiquo ortum haberet, expenditur.
- 4 Quid Trident. in hoc impedimento statuerit.
- 5 Restrictio Concilij solum pro sponsalibus, non pro matrimonio rato intelligitur.
- 6 Aliqui censent ex sponsalibus nullis ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum occultum nasci hoc impedimentum.
- 7 Oppositum verius est.
- 8 Ex sponsalibus mutuo consensus dissolutis oriri hoc impedimentum affirmant Sanch. & alij.
- 9 Sed contrarium tenendum est.

1 Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ortum habet ex sponsalibus de futuro, & matrimonio de presenti, ex eo namque quod quis sponsalia, vel matrimonium cum aliqua contrahat, propinquus sit omnibus consanguineis (sue sponsæ, & contra sponsa propinqua facta est consanguineis sui sponsi. Appellatur autem hoc impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, quia iustum, & æquum est ob publicam honestatem, decorem, & decentiam impedire, ne sponsus cum consanguineis suæ sponsæ, vel sponsa cum consanguineis sui sponsi contrahat.

2 Hoc impedimentum non est iuris naturalis, vti de se constat, & latentur omnes, sed est iure Ecclesiastico introductum, vti constat ex cap. si quis vxorem. Cap. si quis de spons. auerit 27. qu. 2. Cap. litteras de desponsat. impuber. Cap. inuenis. Cap. veniens. c. ad audiendam. Cap. sponsalia de Sponsal. & cap. unio de Sponsalib. in 6. & Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de reform. matr.

3 Iure antiquo hoc impedimentum siue ex sponsalibus, siue ex matrimonio extendebatur ab consanguineos intra quartum gradum Nam licet Textus de hoc impedimento loquentes gradum illius non expresserint, sed solum dixerit extendi ad consanguineos sponsi, vel sponsæ: cum consanguineis post Innocent. III. in cap. Non debet de consanguin. & affinin. intra quartum gradum, & non ultra reputentur, efficitur hoc impedimentum ad consanguineos intra quartum, & non ultra extendi.

Rursus oriebatur ex sponsalibus, & matrimonio puris. hoc est absolutis, & cum certa persona initis, siue valida, siue irrita fuerint, modo non fuerint irrita ex defectu consensus, nec præiudicium prioribus afferrent, est expressa decisio cap. vnic. de sponsalib. in 6. Quare ex sponsalibus, vel matrimonio conditionatis ante impletam conditionem nullum impedimentum nascebatur, quia conditio consensus suspendit, efficitque ne sponsalia, vel matrimonia ante illius euentum effectum habeant. Impletâ verò conditione qui censent eo ipso absque nouo consensu sponsalia, vel matrimonium consistere, affirmabant nasci impedimentum, secus qui nouum consensum requirunt. Item neque oriebatur impedimentum ex sponsalibus metu vel errore personæ, vel absque sufficiente deliberatione, veroque consensu celebratis, quia hæc sunt nulla ex defectu consensus, bene tamen ex sponsalibus, vel matrimonio ex aliquo alio impedimento, vel solemnitate defectu irritis, vti declarauit Cardinalium congregatio apud Farinacium, & Barbosa sess. 24. cap. 3. Concl. Trident. Et apud Rebelleum in append. ad lib. 4. num. 102. Quocirca non videtur audiendum Sanch. lib. 7. disp. 30. num. 13. afferens ex matrimonio rato celebrato absque parocho, vti testibus nullum impedimentum nasci, qui neque speciem habet contractus. Quippè prædictus contractus nullus non est ex defectu solemnitate à Concilio requisita. At Textus in cap. vnic. de sponsalibus in 6. decidit ex sponsalibus, vel matrimonio nullis ex quacunque causa præter defectum consensus hoc impedimentum publicæ honestatis oriri. Ergo ex prædicto contractu nullo necessario oritur, referuntque Farin. Barbosa. & Rebelleum. decisum fuisse à sacra Congreg. de Castro, Sum. Mor. Part. V.

gregatione in hæc verba: Præsupposita declaratione per constitutionem Pij V. super hoc decreto (scilicet sess. 24. c. 3.) censuit congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de presenti etiam nulliter contractis, ommissa forma decreti Concilij sess. 24. c. 1. & constat ex c. Ad audientiam de sponsalib. vbi existente matrimonio nullo ob impedimentum consanguinitatis oritur publicæ honestas. Atque ita docent Basil. Ponce, lib. 7. c. 3. in fine. Gaspar Hurtado disp. 2. difficult. 2. num. 7. Et colligitur ex Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. c. 9. num. 5.

Neque item oritur hoc impedimentum ex sponsalibus, vel matrimonio irritis ob priorum præiudicium. Verbi gratia promissisti ducere Mariam, & ante horum sponsaliorum legitimam dissolutionem contrahis cum eius sorore, ex tali contractu nullo, vti potè præiudicante priori nullum oritur impedimentum, vti expressè deciditur dicto c. vnic. de sponsalib. in 6. Et notatur Sanch. lib. 7. disp. 68. num. 24. Gutierr. c. 104. num. 17. Difficultas est casu quo priora sponsalia cum Maria conditionalia essent, & contracta cum eius sorore absoluta? Qua in re dicendum est, si ante euentum conditionis sponsalia de futuro cum eius sorore contraxeris, nullus est contractus, nullumque impedimentum, quia in præiudicium prioris obligationis nemini te obligare poteris: Quod verum censet etiam iure antiquo ante Concil. Trident. spectato. At si non sponsalia de futuro, sed verum matrimonium ratum contrahas, cum hoc matrimonium validè esto illicitè contractum sit, prioribus sponsalibus conditionatis derogat. Hæc de iure antiquo.

Verùm Conc. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform. matrimo. constitutionem edidit in hæc verba. Iustitia publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, vbi autem valida fuerint primum gradum non excedunt, quoniam in vltioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispensatione obseruari. Ex quo decreto manifestè constat duplicem restrictionem impedimento publicæ honestatis factum esse, primam ne contrahatur prædictum impedimentum ex sponsalibus nullis, secundam, ne contrahatur ultra primum gradum, cum tamen iure antiquo ex sponsalibus inualidis, nisi inualida essent ex defectu consensus, vel in præiudicium priorum contraheretur impedimentum vsque ad quartum gradum.

Et licet aliqui graues Doctores, Nauarr. cap. 22. num. 58. in mm. Hisp. Couarruu. 4. decret. 2. par. cap. 6. § 2. num. 2. Ludouic. Lopez, 2. par. instrum. cap. 50. censent restrictionem à Concilio factam non solum de sponsalibus, sed etiam de matrimonio rato esse intelligendam, eo quod restrictio facta in accessorio censenda sit facta in principali, præcipue cum ex matrimonio rato nullo non inueniatur expressum nasci hoc impedimentum. Quæ sententia ante declarationem Pij V. editam anno 1568 in bulla quæ incipit, ad Romanum, probabilis esse poterat. At post prædictam declarationem nullatenus sustinenda est. Inquit enim Pontifex, quod cum multi dubitauerint, an decretum Concilij Trident. sess. 24. cap. 3. intelligatur de sponsalibus de futuro, vel etiam de matrimonio de presenti non consummato. Authoritate Apostolica tenore presentium de claramus, & definitum decretum Concilij huiusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro durat, non autem in matrimonio (sicut præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, in quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat. Atque ita obseruarunt Nauarr. d. cap. 22. num. 57. in man. Latino. Henrquez lib. 12. cap. 10. num. 2. Gregor. de Valen. tom. 4. disp. 10. quest. 5. punct. 3. Sanch. lib. 7. disp. 70. num. 5. Gutierr. cap. 104. num. 23. Basilius Ponce, lib. 7. c. 35. num. 3. decisumque est à sacra Congregatione, prout refert Farinac. & Barbosa dicto cap. 3. Concilij. Et Rebelleum in append. ad lib. 4. de oblig. iustit. num. 102.

Sed an ex sponsalibus nullis ob defectum consensus, vel ob aliud impedimentum omnino occultum nascatur impedimentum: discutere non caret. Nam Thom. Sanch. lib. 7. disp. 68. ad n. 14. Henriq. lib. 1. cap. 10. Basil. Ponce, lib. 7. c. 35. num. 10. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 9. n. 4. & alij censent nasci, eo quod hoc impedimentum statutum sit propter indecentiam, quam secum trahit matrimonium cum consanguinea in primo gradu illius, quacum sponsalia contraxerit: hæc autem indecentia semper oritur quoties constat publicè sponsalia valida fuisse, tamen de facto irrita sint. Vnde cum Concilium dicit ex sponsalibus quacunque ratione valida non fuerint non contrahi hoc impedimentum, intelligendum est verbum quacunque ratione, quæ cognoscitur, & scitur.

Sed rectius meo iudicio Nauarr. c. 22. num. 57. Petrus de Ledesm. q. 55. art. 4. in dubio 1. circa solutionem certij. Venerum in append. ad speculum fol. 76. Rebelleum, lib. 3. quest. 14. Gaspar Hurtado disp. 21. difficult. 1. num. 4. Coninch. disput. 32. dub. 5. num. 69. affirmantur ex prædictis sponsalibus nullum nasci